

N. 13.



22

SPIRITVS SANCTVS
APOSTOLORVM IESV CHRISTI

MAGISTER
ARGVENS MVNDVM

IOANN. XVI, 8. 9. 10. 11.

DISSERTATIO PHILOLOGICO THEOLOGICA

QVAM
SVB MODERAMINE
IOANNIS FRIDERICI GRVNERI

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS
ET PROF. PVBL. ORDIN.

VIRORVM DOCTORVM EXAMINI

AD D. XI. M. APR. 1808

SVBMITTET

ARND MOLITZ MEENTZ

FRISO ORIENTALIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI ET FRID. AVG. GRVNERTORVM.

21

SPIRITVS SANCTVS
APOSTOLICVM IN SV CHRISTI

IN VITIS VINO ET CEREVISIIS

IN VITIS VINO ET CEREVISIIS

m.

IN VITIS VINO ET CEREVISIIS

IN VITIS VINO ET CEREVISIIS



VIRIS
PERILLVSTRIBVS. ILLVSTRIBVS
SVMME. PLVRIMVMQVE VENERANDIS
EXCELLENTISSIMIS. AMPLISSIMIS
DOCTISSIMIS

REGII

PER PRINCIPATVM FRISIAE ORIENTALIS
ET DYNASTIAM HARLINGENSEM

SENATVS ECCLESIASTICI
PRAESIDI GRAVISSIMO
CONSILIARIIS ATQVE ASSESSORIBVS
SPECTATISSIMIS

VIRIS

DE RE SACRA. PVBLICA. ET LITTERARIA
MERITISSIMIS
MAECENATIBVS SVIS PIE COLENDIS

HOC

QVALECVMQVE STVDIORVM ACADEMICORVM
SPECIMEN

QVA

DECET REVERENTIA ET PIETATE

D. D. D

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

ARND MOLITZ MEENTZ

V I E S
 P R E T I V S I B V S I E V S T R I B V S
 E X C E L L E N T I S S I M I S
 D O C T I S S I M I S
 R E G I I
 P R I N C I P A L I U M R E I S I A E O R I E N T A L I S
 S E N A T V S E C C L E S I A S T I C I
 P R A E S I D I G R A V I S S I M O
 C O N S I D E R A N S A T Q V E A S S E S S O R I B V S
 M E R I T I S S I M I S
 V I R I S
 M A R G E N A T H V S S V I S T I E C O L E N D I S
 S P E C I M E N
 T A N T O L O N I A N V M
 A T Q V E P R I N C I P A L I U M



SPIRITVS SANCTVS
APOSTOLORVM IESV CHRISTI MAGISTER
ARGVENS MVNDVM

IOAN. XVI, 8. 9. IO. II.



§. I.
Iesus Christus, seruator mundi, ubi post coenam pascha-
lem, celebratam ultimum, una cum apostolis suis per-
geret ad montem Oliueti, inter alia, quae in ipso iti-
nere locutus cum comitibus est, dixit ista apud IOAN.
XVI, 8. 9. IO. II. Καὶ ἑλθὼν ἐκεῖνος (ὁ παρακλητος) ἐλέγξει τὸν
κόσμον περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως. Περὶ
ἁμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. Περὶ δικαιοσύνης δέ, ὅτι πρὸς
τὸν πατέρα μου ὑπάγω, καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι
ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκρηται. Ea uerba igitur quam diffici-
liora uisa semper interpretibus doctissimis, neque iniuria, sunt; et ma-
iorem adhuc lucem omnino desiderent; *) studium nos, operamque
collocaturos esse non inutiliter, rati sumus, si illustrare pro parte ui-
rili conaremur.

§. II.
Redibit autem disputatio nostra omnis ad capita haec. Primo lo-
co disquirendum erit, qui sit ille παρακλητος, cuius aduentus promit-
titur; aduentusque ipse, qualis: deinde qui sit ὁ κόσμος, cuius ἐλέγξῃς
praedi-

A 3

*) Bene SAM. WERNEFELSIVS, *Opusc. Theol. Philor. et Philol.* p. 321. de
hoc eodem, quem tractandum suscipimus loco. „Hic locus, inquit,
quem obliuiscunt esse omnes interpretes agnoscant, minus forte obliuiscen-
tatis haberet; nisi plerique a seopo Christi et uerborum simplicitate rece-
dentes, nescio quae systemata in istis uerbis quaerent; quae, ut uera sint,
ab isto certe loco sunt prorsus aliena.”

praedicitur: *tertio*, illud ἐλέγχειν quale sit: *quarto*, quae sit in uerbis, de quorum sententia quaerimus, ἀμαρτία: *quinto*, qualis sit, cuius ibi fit mentio, δικαιοσύνη: *sexto*, qui sit ὁ ἀρχὸν τοῦ κόσμου τούτου, qui dicitur κεραιμένος; et qualis sit eius κρῖσις. His addemus loco *septimo* idoneam loci totius, superius adscripti, paraphrasin: quo facilius de omni eius interpretatione nostra lectori constet.

I, *Qui sit ὁ παράκλητος, cuius aduentus promittitur; aduentusque ipse, qualis.*

§. III.

Τὸν παράκλητον, nam de hoc disquirendi initium facturos nos esse promissimus, Spiritum Sanctum esse, uix poterit dubium uideri; si meminisse uelimus, supra apud IOAN. XV, 26, dixisse Christum ad discipulos suos: Όταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, κ. τ. λ. et superius, XIV, 26: Ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψῃ ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματι μου, κ. τ. λ. Atque hoc quidem interpretes assentiuntur omnes. Illud quaeri uideo, uox Graeca παράκλητος utrum *consolator* ueri debeat, an *aduocatus*, an denique *doctōr*, siue *magister*. Res ipsa poscit, ut de hac quaestione dicamus paullo diligentius.

§. IV.

Obserrarunt autem uiri docti, Hebraeos uocem Graecam παράκλητος transulisse, ut alias multas, in sermonem suum uulgarem, atque pronunciasse פִּרְקָלִית, uel פִּרְקָלִיתָא: ea autem uoce non *consolatorem*, παρηγόρησα, significare consueuissē; sed *aduocatum*. Vide IO. DRVSIVM ad IOAN. XV, 16. Tom IV Criticor. Sacror. p. m. 1782 ed. Francof. IO. BOISIVM, Collat. Vet. Interp. cum Beza aliisque recentiorib. p. 321. MART. CASP. WOLFFBERGIVM, Obseruat. Sacr. p. 458. Agnoscit etiam IO. LIGHTFOOTVS, Hor. Hebr. in Euang. Ioan. Cap. XIV, Vers 16. p. m. 662. Tom II Opp. פִּרְקָלִיתָא apud Iudaeos frequentissime occurrere pro *aduocato*; tamen hoc in loco aptius reddi affirmat per *consolatorem*; rationibus parum firmis, quas autem non uacat nobis iam excutere. *Aduocatus* est apud IOAN. XIV, 16 et 26 in Cod. Vercell. Versionis antiquae, siue ueteris Italiae, quam Romae

Romae c1010ccxliix edidit IOSEPH. BLANCHINVS. irem apud IOAN. XIV, 16 in Versione uetere Italica, a PETRO SABBATIER Remis edita c1010ccxliiii. Nam in locis reliquis, uti in Cod. Veron. in locis omnibus, seruatur uox Graeca *Paracletus*, uel *Paracletus*. Collegit autem PETRVS SABBATIER loca Patrum Latinorum, qui ex uersione antiqua citarunt *aduocatum*. Ea Patrum ecclesiae Latinae loca huc transferre longum foret. Caeterum ista uocis Graecae interpretatio Latina ferri omnino potest, si recte explicetur: de qua re dicemus inferius. Nam qui per *aduocatum* causae patronum, siue qui causam rei agat apud iudicem, intelligendum esse disputant; interpretationis Grammaticae rationes negligunt, ingenio nimium indulgent, neque uident, omnia fere, quae de Spiritu Sancto, τὸ παρακλήτω, in locis illis apud IOANNEM praedicantur, huic interpretationi suae aduersari. Ut enim iam omitam, illum παρακλήτων dici πνεύμα τῆς ἀληθείας, *spiritum longe ueracissimum*, IOAN. XIV, 17; et qui *deducturus apostolos sit in omnem ueritatem*, IOAN. XVI, 13; quae doctoris, non causae apud iudicem patroni: Christus, abiturus iam ad patrem, discipulis suis, de spiritus huius aduentu loquens, promittit ἄλλον παρακλήτων, IOAN. XIV, 16; quam ipse illorum παρακλήτων, *doctor*, siue *magister*, hactenus fuerit. Ut asensum denegare iis plane non possumus, qui uocem Graecam παρακλήτων, *doctorem*, *magistrum*, *ueritatis diuinae ad apostolos interpretem*, exponunt; eamque in sententiam docent Hebraeos, illis temporibus, usurpasse suum שִׁרְיָהּ uel שִׁרְיָהּ. Vide IO. CAMERONEM *ad Ioan. XIV, 16. Tom IV Criticor. Sacror. p. 1783. IOSEPH MEDVM, Fragm. Sacr. p. 104. et Vener. IO. AVG. ERNESTI, Opusc. Philol. et Crit. p. 214 sqq.* Et quid magis confirmare hanc interpretationem potest, quam ea, quae apud IOAN. XIV, 26 legimus? ἐκεῖνος (ὁ παρακλήτων) ὑμῶν ΔΙΔΑΞΕΙ πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμῶν πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Quibus quidem uerbis τοῦ παρακλήτων partes ita describuntur; ut *doctorem* et *interpretem ueritatis diuinae* eximium intelligi debere, dubitari plane nequeat. Hanc ipsam uero uocis Graecae interpretationem ecclesiae ueteri non fuisse omnino ignotam, testatur TERTULLIANI *de Velandis Virginib. Cap. 1* locus: de quo erudite diserit Vener. ERNESTI, *l. c. p. 216.* Inde autem suspicari licebit, Versionem ueterem Italianam, de qua supra diximus, *aduocatum* intelligere, qui moneat, qui con-

silia

filia suggerat. *) Huc etiam pertinet alius TERTVLLIANI locus, de Praescript. Haereticor. Cap. XXVIII. Age nunc, omnes (ecclesiae) errauerint; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo: nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in ueritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut ei set doctor ueritatis. Confirmare idem uidetur Montani temeritas. Qui Montanus Spiritum Sanctum loqui per se somnauit; quem Spiritum Sanctum Christus, tanquam εἰλον παρρησιωντων, missurum se promiserit, ut ecclesiam ea, quae discipuli Christi ferre olim non poteriat, IOAN. XVI, 12. 13, edoceret, atque sic in omnem ueritatem per gradus temporum deduceret. Hanc ipsam enim fuisse Montani de se, et sectatorum de magistro opinionem, planum esse puto ex TERTVLLIANI adu. Prax. Cap. XXX. de Monogam. Cap. II. p. m. 525. Cap. III. p. m. 526. 527. Cap. XIV p. 334. de Ieiun. Capp. I. et XIII. **) Neque uero uideri facile possunt Montanistae Paracleti appellationem traducere absque ul-

lius

*) ASCON. in Diuina. Cic. p. m. 20. Aduocatus, si ius suggerit.

**) Non satis accurate b. IO. LAVR. MOSHEMVS, *Iustit. Hist. Christ. Ant. et Recent.* p. 107. not. g): „Distinguebat MONTANVS Paracletum Apostolus a CHRISTO promissum a Spiritu S. in eos edito, et diuinum
 „ Paracleti nomine doctorem a CHRISTO indicatum esse censebat, qui
 „ partes quasdam religionis a Seruatore nostro omisas suppleturus, alias
 „ imperfecte bonis de causis traditis clarius explicaturus esset. — Quo
 „ diligentius et attentius TERTVLLIANVS, discipulorum MONTANI
 „ maximus, et disciplinae eius in primis gnarus, legetur, eo clarius sicum
 „ sensisse apparebit. „ Aduersatur huic uiri doctissimi opinioni TERTVLLIANVS ipse, cum aliis in locis, tum satis manifeste de Monogam. Cap. III. p. m. 526. Igitur si omnia ista obliuiscantur licentiam nubent, et condicione licentiae inspecta, et praelatione continentiae inopstra, cur non poruerit post Apostolos idem spiritus supernemens ad deducendam disciplinam in omnem ueritatem, per gradus temporum, (secundum quod Ecclesiastes, Tempus omni rei, inquit,) supremam iam fibulam imponere, iam non oblique a nuptiis auocans, sed exerce; quum magis nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter clix exinde productis? Planum est, Montanistas censuisse, eundem Spiritum Sanctum per apostolos, atque per Montanum suam ecclesiam edocuisse: sed de rebus nonnullis distinctius per Montanum; quam per apostolos. Igitur Paracletum Montani non distinguebant a Spiritu S. per apostolos ecclesiam docente: sed dona eiusdem Spiritus Sancti in Montanum, Pricam, et Maximillam collata, a donis in apostolos collatis distinguebant.

lius contradictione ad ueritatis diuinæ ad ecclesiam interpretem portuisse; si ille uocis usus nouus plane atque inauditus in ecclesia Latina fuisset. Sed neque Christianis Graecis inusitatum plane fuisse, τὸν παρακλήτων de Spiritu Sancto, doctrinae caelestis interprete, intelligere, licebit colligere ex *Lib. III Constitut. Apost. Cap. XVII.* Πνεῦμα ἅγιον, ὁ παρακλήτος, τὸ ὑπὸ Χριστοῦ πεμπόμενον, καὶ ὑπ' ἐκείνου διδασκόμενον; καὶ ἐκείνον κηρύττον.

§. V.

Erit igitur ὁ παρακλήτος, cuius aduentus in uerbis Christi, de quorum sententia iam maxime quaerimus, promittitur, Spiritus Sanctus; quatenus ille apostolos ueritatem caelestem plenius edocuit; cuncta, quae locutus cum iis Christus erat, sic ipsis in memoriam reuocando, ut eorum ad intelligentiam adduceret: de rebus futuris admonuit: quae ad magistratus, in iudicia, et ad tribunalia adducti, loqui deberent, suggestit: miracula per ipsos patrauit: denique rebus omnibus, quaecumque ad partes praekonum et testium Iesu Christi fuscipiendas et tuendas necessariae essent, abunde instruxit. Vide IOAN. XVI, 13. XIV, 26. MARC. XIII, 11. LUC. XII, 11. 12. MARC. XVI, 17. 18. Act. I, 8.

§. VI.

Sed ille, quem Christus uenturum a patre praedixerat, παρακλήτος aduenit; ubi apostolis Iesu Christi ratione plane extraordinaria, et cum efficientia prorsus singulari praesens esse coepit. Tale enim quid significari solet; ubi sacro in codice Spiritus Sanctus aduenire ad aliquem dicitur. Vide LUC. I, 35. Act. XIX, 6. Caeterum etsi Spiritus Sanctus παρακλήτος Christianorum fidelium omnium dici recte possit; tamen Christus hoc spectasse putandus non est, ubi τοῦ παρακλήτου aduentum apostolis praedixit. Nam eam Christi praedictionem ad operationes Spiritus Sancti prorsus extraordinarias, quibus operationibus apostoli ad obeundum munus suum armari et instrui debebant, unice pertinere, tam multa sunt, quae omnino persuadere possint; ut qua ratione probabili, qui aliter sentiunt, atque Christi promissum latius interpretantur, hoc scitum suum defendere uelint, plane non uideam. Sic IOAN. XIV, 16 uerbis: Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ

καὶ ἄλλον παρακλήτων δώσει ὑμῶν, ἵνα μένη μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα:
 Christus, qui apostolorum παρακλήτων, magister siue doctor, haec-
 tenus fuerat, discensur iam ab ipsis, promittit ἄλλον παρακλήτων,
 doctorem et magistrum alium, a patre; qui non aequè recessurus ab iis,
 sed permanens apud ipsos semper sit. Tam plana sunt omnia, ut
 interpretationem aliam admittere uideri uix possint. Tamen sunt, qui
 credere nos iubeant, Christi promissionem non tam ad apostolos proprie
 pertinere; quam ecclesiam in uniuersum, et pios temporum omnium
 respicere. Hoc ut euincat FRID. ADOLPH. LAMPE, quem multi in-
 terpretem esse primarium putant; urget oppositionem inter discipulos
 domini et mundum: non cogitans, τὸν κόσμον esse ibi mundum Iudai-
 cum; quod uel ex *Segm.* 19 eiusd. *Cap.* discere potuisset, ubi similis
 inter discipulos et mundum oppositio occurrit. Urget deinde uerba,
 ἵνα μένη μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα: quae tamen uerba nihil plane ualent
 ad efficiendum id, quod uir doctus disputat. Nam loquendi forma
 εἰς τὸν αἰῶνα respondet Hebr. לְעוֹלָם , atque idem ualet, quod *semper*,
omni tempore: cuius significationis exempla dabit IO. VORSTIUS
de Hebraism. N. T. Part. II. Cap. XL. p. m. 290. Ut illa uerba, ἵνα
 μένη μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα consolationem habeant ad discipulos
 Christi, abitu magistri, quem ille praenunciabat, pauentes. Sed
 promissionem τοῦ παρακλήτων proprie pertinere ad apostolos, probant
 etiam uerba Iesu, IOAN. XIV, 25. 26. Ταῦτα λελάληκα ὑμῶν περὶ
 ὑμῶν μένων. Ο δὲ παρακλήτων, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατήρ
 ἐν τῷ ὀνόματι μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς
 πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν. Vide etiam IOAN. XVI, 12. 13. 14. 15. Quae
 quidem omnia sunt eiusmodi; ut non conueniant, nisi in eos, qui cum
 Iesu uixerunt, atque institutione eius familiariter usi sunt. Ad hoc
 ille παρακλήτων, Spiritus Sanctus, per apostolos testari de Iesu Chri-
 sto debebat, IOAN. XV, 26. 27. XVI, 14. *Actor.* I, 8. Et ipse Iesus
 ante, quam in caelum ascenderet, apostolis suis, teste LVCAS in *Euang.*
 XXIV, 49, praecepit: Καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πα-
 τρός μου ἐφ' ὑμᾶς: ὑμεῖς δὲ καθίστατε ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλὴμ, ἕως οὗ
 ἐνδύσηθε δυνάμιν ἐξ ἑνός. Quod repetit idem LVCAS, *Actor.* I, 4.
 Cum his si conferamus IOAN. XIV, 16. 26. XV, 26; dubium non erit,
 per ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός intelligi τὸν παρακλήτων, de quo haec tenus
 disputauimus; eiusque aduentum apostolis a Christo in locis superius
 allatis

allatis peculiari ratione promitti. Sed haec haecenus. Pergimus iam ad alia.

II. *Qui sit ὁ κόσμος, cuius ἐλεγχίς praedicitur.*

§. VII.

Sequitur enim, ut de κόσμῳ quaeramus, cuius ἐλεγχίς praedicitur: Καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος, ἐλέγξει τὸν κόσμον. Interpretes, quos evoluerit licuit, prope omnes per mundum intelligunt uniuersitatem Iudaeorum et gentium aliarum. Sed IO. CLERICVS, in *Hist. Christi ex quatuor Euangeliis*, p. m. 203, Christi uerba hunc in modum interpretatus est: „Cum autem ille uenerit, arguet ac conuincet Iudaeos ignorantum trium ad me pertinentium.“ Similiter CHRISTI. SCHOETTGENIVS, *Hor. Hebr. et Talmud. ad h. l.* p. 395 per mundum intelligit Iudaeos, et illorum praecipue primores *). Atque illi quidem uerum omnino uidere, quod τὸν κόσμον de mundo Iudaico, siue de Iudaeis exposuerant. Nos hoc disputabimus cura maiore; si ante eum uocis Graecae sapud scriptores sacros Noui Foederis usum, parum in uulgu notum, diligentius paulo illustrauerimus.

§. VIII.

Igitur uox Graeca κόσμος in libris Noui Foederis significaciones plures habet, quas parum attinet hic recensere. Illam autem praetermittere non debemus, qua terram Canaan, siue Iudaicam denotat *Rom. IV, 13.* Ad hunc uocis eius usum declarandum uide, quae afferant SALO. GLASSIVS, *Philol. Sacr. Lib. V. Traët. I. Cap. XVI.* p. m. 893. et DAN. FESSELIVS, *Aduersar. Sacr. Lib. II. Cap. II.* p. 200. Uideri posset Iudaei terram suam eadem ratione mundum, κόσμον, dixisse, qua Romani imperium suum orbem, uel orbem terrarum, Graece οἰκουμένην. Quam ipsam οἰκουμένης appellationem de Palaeſtina habes *LVC. IV, 5. XXI, 26. Actor. XI, 28.* et apud IOSEPH. *Antiquit. Iud. VIII, 13.* Inde autem uideri porro posset uox κόσμος translata

B 2

esfe

*) Quod uero idem SCHOETTGENIVS scribit, Spiritum S. qui Aduocatus noster sit, mundum, tamquam aduersarium fidelium, siue Iudaeos & illorum praecipue primores, solidissime conuincere, causam Christi esse bonam, mundi uero malam: illud quidem a uero longius abest.

esse ad *Iudaeos*, Palaestinae incolas, et *eorum rem publicam*. Sed suspicor eius appellationis rationem coniunctam potius esse cum celebri Iudaeorum distinctione inter *saeculum praesens* et *futurum*, קָדְמֵי הַיָּמִים וְאַחֲרֵי הַיָּמִים. Qua loquendi forma quum significare Iudaei uaria soleant: is formulae eius usus huc pertinet, ex quo *saeculi futuri* nomine dies, siue tempora Messiae indicantur; *saeculo autem praesente*, dies, siue tempora, quae dies Messiae proxime antecedunt. Iudaei nimirum, ita enim opinione auguror, quum Messiam et saeculum futurum ad se solos pertinere opinarentur, gentesque caeteras uix in hominibus haberent, sed *canes* per contemptum dicerent; illi se et res suas קָדְמֵי הַיָּמִים, *saeculum praesens* quasi *κατ' ἐξοχήν* appellare non dubitabant. Atque hanc significationem multis in locis N. F. uox Graeca *κόσμος* habet; addito interdum Pronominis etiam, *κόσμος οὗτος*: item *αἰών*, et *αἰών οὗτος*. Nam fundamento carent, quae IO. LIGHTFOOT scripsit, *Hor. Hebr. in Euang. Lucae*, XII, 30. p. m. 534. Tom. II *Opp.* „*Κόσμος* „ et *Αἰών* proprietatem suam habent in Sacris Paginis, aliam ab ea, „ quam in Profanis: ut *Αἰών* referatur ad saecula tantum Iudaica, et „ *Κόσμος* ad gentes non Iudaicas. „ Ut autem eius significationis, quam superius indicaui, τοῦ κόσμου exempla addam, IOAN. VII, 7 ὁ κόσμος Iudaei sunt, qui odio Christum prosequuntur. Vide etiam IOAN. XIV, 31. XV, 18. 19. XVI, 33. XVII, 6. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 21. 23. 25. caet. PAVLLVS uero ad *Gal.* IV, 3. et ad *Colos.* II, 8, instituta religiosa Iudaeorum, quae partim lege Moisaica nitebantur, partim traditionibus maiorum, uocat *σχίσμα τοῦ κόσμου*. quam interpretationem unice ueram esse, ipse PAVLLVS nos docet ad *Colos.* II, 20: *Εἰ οὖν ἀπεθάνετε σὺν τῷ Χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, τί, ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ, δογματίζεσθε; μὴ ἄλγῃ, μηδὲ γένεσι, μηδὲ θανάτῳ. Ἄ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῆ ἀποχρήσει κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας ἀνθρώπων.* Denique idem apostolus, scribens ad *Gal.* VI, 14: *δι' οὗ (Ἰησοῦ Χριστοῦ) ἐμοὶ κόσμος ἐσαύραται, καὶ γὰρ τῷ κόσμῳ:* per *κόσμον Iudaicum* intelligit: quod series orationis planissime docet. Omitto loca plura adscribere, in quibus ὁ κόσμος ad significandum *mundum Iudaicum* adhibetur; quum ea, quae attuli, ad declarandum id, quod uolui, uideri possint satis esse. Accedo igitur ad probandum id, quod probaturum me esse supra promiseram: τὸν κόσμον in uer-

in uerbis Christi, quorum sententiam hoc libello exquirimus, intelligi de Iudaeis debere.

§. XIX.

Hoc uero ut planum faciamus; totius orationis Christi ad apostolos series consideranda nobis erit. Repetemus igitur omnia aliis, et a *Capitis XV* initio. Ibi Christus hortari apostolos incipit, ut coniuncti secum maneant unione mystica et morali. Deinceps *segm. 12 ad 17* de amore mutuo eosdem amantissime admonet. Transiit deinde *segm. 18*, ad denunciationem calamitatum, quas ipsi post discesum suum a Iudaeis accepturi essent. Nam ibi per τὸν κόσμον Iudaeos, maxime τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ τοὺς ἀρχοντας eorum, intelligi; non solum inde planum fit; quod Christus ait *segm. 18*, γινώσκειτε, ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσσηκεν. item *segm. 20*: εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν· εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν, et *segm. 22*: εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐκάλησα αὐτοὺς, ἀμαρτίαν οὐκ εἶχον. et *segm. 24*: εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς, εἰ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, ἀμαρτίαν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ καὶ ἐωράκασι, κ. τ. λ. Quae quidem omnia quum talia sint, ut praeter Iudaeos in alium neminem conueniant; non solum haec ipsa probant, per τὸν κόσμον Christi in uerbis mundum Iudaicum designari; sed idem hoc planissime etiam demonstrat calamitatum futurarum apertior descriptio, quam *Cap. XVI, segm. 2. 3* legimus: Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς. Ἄλλ' ἐρχεται ἄρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνῃς ὑμᾶς, δόξῃ λατρεῖν πρὸς Θεῶν. Καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἐγνώσαν τὸν πατέρα, οὐδὲ ἐμὲ. Huic ipsi autem calamitatum denunciationi intexit consolationem: adfuturum illis τὸν παράκλητον, doctorem et magistrum, quem miserum eorum gratia sit a patre, Spiritum ueracissimum; eum testaturum de se, sed ipsos quoque, nimirum Spiritus huius donis armatos, testaturos esse. Atque haec praedicere ipsis; ut, ubi euentura essent, ipsi ne offendantur. Olim autem non dixisse: quoniam ipse cum illis fuisset. Haec quidem monet Christus apostolos suos *segm. 18. Cap. XV. ad Cap. XVI, segm. 4*. Inde autem flecit orationem ad discesum suum, *Cap. XVI, segm. 5*; quem aliquoties iam praesignificauerat. Queritur uero: Οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐγώ τ' εἰμι. Πού ὑπάγεις; Ἄλλ' ἐπὶ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἢ λύπη πεπληρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν. Monet igitur doloris

leuandi causa, discessum suum apostolis fore bono. Ipse enim nisi ad patrem abeat, τὸν παρακλήτων, doctorem siue magistrum minime uenturum esse: ubi autem ipse abierit, misurum se illum ad apostolos. Atque eum παρακλήτων arguturum esse aduersarium ipsorum atque osorem, τὸν κόσμον, περὶ ἀμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως. Vides, quid orationis Christi series poscat: quam alienamque foret, τὸν κόσμον non de mundo Iudaico solum, sed de hominibus non nationum solum quarumcunque, sed temporum quoque omnium interpretari uelle. Quod quidem qui facere non dubitant, non modo obliuiscuntur, Christum tota hac oratione sua τὸν παρακλήτων apostolis, non credituris quibuscunque, promittere; sed ea etiam de munere Spiritus Sancti temporibus oeconomiae nouae unum iam locum cumulare solent, ut se ne dogmaticos quidem probabiles praesentent.

§ X.

Ad hoc aliud pro nostra contra Iularem τὸν κόσμον interpretationem argumentum later in uerbis: ἐκείνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἀμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως. Nam tria illa, quae hic commemorantur, ita comparata sunt; ut, quum ad Iudaeos, et quidem in primis ad τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ τοὺς ἀρχοντας ipsorum, unice pertineant, de iis soli quoque Iudaei argui poterint. Itaque non licebit per τὸν κόσμον mundum alium, praeter Iudaicum, intelligere. Hoc luculenter apparebit; ubi diligentius declarauerimus uerba Christi de παρακλήτων: arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio, ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἀμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως. Ad eorum igitur explanationem iam accedimus.

III. Τὸ ἐλέγχειν τὸν κόσμον, quod τῷ παρακλήτων tribuitur, quale sit.

§ XI.

Ut autem a uocis Graecae ἐλέγχειν interpretatione ordiamur, ea uox hoc quidem loco ualeat arguere, conuincere. Similiter Christus ad Iudaeos apud IOANNEM, VIII, 46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἀμαρτίας; Et ATHENAGORAS, Legat. pro Christian. Cap. II. καὶ εἰ μὲν τις ἡμᾶς ἐλέγχειν ἔχει ἢ μικρὸν ἢ μείζον ἀδικούντας, κολάζεσθαι οὐ παρουσῶν τοῦμεθα.

τούμεθα. Sed eam uocis Graecae significationem exemplis pluribus ut demonstremus, necesse non est. Illud praetermittere non debemus, τὸ ἐλέγχειν ad res non minus, quam ad uerba et orationem pertinere: neque ad hoc, ut dici aliquis possit ἐλεγχεῖς, ipsius hominis confessionem, aut etiam animi conuictionem requiri semper; sed satis saepe esse, si res loquatur ipsa, et si is, qui arguitur, neque agnoscere animo uelit illud, cuius arguitur, neque confiteri ore. Sic τὴν κύβη. Hist. VI, 86. Καὶ ὅτω ταῦτα μὴ δοκεῖ, αὐτὸ τὸ ἔργον ἐλέγχει. Et apud AELIAN. Var. Hist. XII, 51. Menecratem medicum, qui eo uesaniae proceserat, ut ipse Iouem se diceret, Philippus rex ad epulas uocauit; sed lectum ei iussit separatim apparari, et accumbenti apposuit acerram. Coniuiis igitur reliquis epulantibus, ipsi fastidus fiebat, tamquam deo. Ο τῶν Μενεκράτης τὰ μὲν πρῶτα ἐνεκαρτέσει, καὶ ἔχαιρε τῇ τιμῇ· ἐπεὶ δὲ κατὰ μικρὸν ὁ λιμὸς περιήλθεν αὐτῷ, καὶ ἠλέγχετο, ὅτι ἦν ἄνθρωπος, καὶ ταῦτα εὐθέως, ἔξαναπᾶς ἀπιὸν ὤχετο. Haec disputanda paulo diligentius fuerunt; ut appareret, recte dici Spiritum Sanctum arguturum, siue conuicturum Iudaeos esse de peccato, de iustitia, et de iudicio; etsi Iudaeorum minor pars τῷ ἐλέγχῳ Spiritus Sancti locum relictura erat. Posterior hoc cura maiore in sequentibus declarabimus; ubi ad τῆς ἀμαρτίας, τῆς δικαιοσύνης, et τῆς κήσεως interpretationem peruenerimus. Iam hoc unum addimus, uerba, ὁ παρακλήτης ἐλέγξει τὸν κόσμον, ea respicere, quae Spiritus Sanctus ad arguendos et conuincendos Iudaeos per apostolos operatus est. Igitur ad hunc τοῦ παρακλήτου ἐλεγχὸν referri omnia debent, quaecunque ab apostolis, tamquam testibus Iesu Christi, inter Iudaeos siue dicta siue facta sunt. Neque enim de re alia, quam de hoc ipso τοῦ παρακλήτου ἐλέγχῳ, intelligi Iesu Christi, ascensuri iam in caelum, ad apostolos uerba posuit, Act. I, 8: Ἀψέδε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς· καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἐν τῇ Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ Σαμάρειᾳ, καὶ ἕως ἑσχάτου τῆς γῆς. Et apostolorum, causam coram Synedrio dicentium, oratio, Act. V, 32. Ἡμεῖς ἐσμεν αὐτοῦ (Ἰησοῦ) μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων, καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, ὃ ἔδωκεν ὁ Θεὸς τοῖς πειθαρχούσιν αὐτῷ. Quibus quidem in uerbis nihil erit, quod morari lectorem possit; si obserauerit, τὰ ῥήματα res esse, quarum in proxime praecedentibus mentio facta erat. Responder enim ibi uox Graeca Hebr. ܪܪܝ.

IV. H *ἀμαρτία* in uerbis, de quorum sententia quaerimus, quae sit: item, ἐλέγχει τὸν κόσμον περὶ ἀμαρτίας, quid.

§. XII.

Dicitur autem Spiritus Sanctus, apostolorum Iesu Christi magister, mundum Iudaicum arguturus, siue conuicturus peccati, περὶ ἀμαρτίας. Ea ἀμαρτία in quo consistat, ipse Christus exponit, addens statim: περὶ ἀμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν *) εἰς ἐμέ. Quae quidem tam aperte incredulitatem Iudaeorum, principum inprimis eorum, respiciunt; ut uideri mirum debeat, potuisse interpretes doctissimos de peccato hominum quorumcunque cogitare, qui credere Christo nolint. Immo sunt, qui extendere ad peccata cuncta, totumque hominis naturalis uitiosum et corruptum statum audeant. In his est FRID. ADOLPH. LAMPE, in *Commentar. ad h. l.* p. 302 ista scribens: „ De peccato Saluator indefinite loquitur. Putarem igitur, non hoc „ illudue peccatum, sed uniuersum peccati statum, eiusque tum *malam* „ *culam* tum *reatum*, quo uniuersus mundus premitur, intelligi. „ Quando enim versu sequente certi tantum alicuius peccati, nempe „ *incredulitatis* mentio fit, istud pro exemplo tantum habendum, tan- „ quam unum ex mille. „ Atqui non indefinite de peccato loqui Christum, sed definite de *ἀπιστίας* peccato, satis ostendunt uerba, quae statim sequuntur: περὶ ἀμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. Nam iis uerbis incredulitatis peccatum non exempli causa nominari; sed τῆς ἀπιστίας appellationem, qua Christus vsus supra fuerat, patentem latius, declarari, certisque finibus describi, tam apertum tamque perspicuum est; ut uerendum sit, ne taedium animis legentium suboriat, si disputare hoc copiosius uelim. Leue est, et haud scio an monitione satis dignum, uerbum πιστεύουσιν ad τὸν κόσμον referri debere; constructione scriptoribus probatissimis familiari; qua Nominibus collectiuis, in numero singulari positis, additur Verbum uel Participium in numero plurali. Peccatum igitur, cuius ὁ παράκλητος arguturus dicitur mundum Iudaicum, est ἀπιστία. Nam de mundo Iudaico recte nos interpretatos τὸν κόσμον superius esse, hic locus aperte docere

*) Varietas scripturae, quae est in Codd. aliquot, οὐκ ἐπίστευσαν, vix annotari meretur.

docere poterit; si conferatur cum IOAN. XV, 18 sqq. Εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, γινώσκειτε, ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμισήκεν. — Εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν. — Εἰ μὴ ἦλθον, καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἀμαρτιῶν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ πρέφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἀμαρτίας αὐτῶν. Ο ἐμὲ μισῶν, καὶ τὸν πατέρα μου μισεῖ. Εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς, αὐ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, ἀμαρτιῶν οὐκ εἶχον. νῦν δὲ καὶ ἐωράκασι, καὶ μεμισήκασι καὶ ἐμὲ, καὶ τὸν πατέρα μου. — Όταν δὲ ἔλθῃ ὁ παρὰλλητος, — ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. Καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε. Planum est, de Iudaeis, maxime principibus eorum, fermonem esse. Neque esse dubium poterit, idem eorumdem peccatum, ἀμαρτιῶν, memorari in utroque loco. Nam qui IOAN. XV dicuntur *odisse, et male tractasse Christum, praeceptis autem eius non obtemperasse*, iidem IOAN. XVI dicuntur brevius, *non credidisse Christo*. Sed hoc peccatum maxime fuisse principum Iudaeorum, ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων, cum aliunde notum est; tum ipsi Pharisei fatentur apud IOAN. VII, 48: Μὴ τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσεν εἰς αὐτόν, ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων; Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος, ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικατάρατός εἰσιν. Et Christus locis apud Evangelistas pluribus liberius accusat, et reprehendit principum Iudaeorum, Phariseorum inprimis, incredulitatem. Quae loca quum nihil opus sit hic iam indicare omnia; unum ex iis, maxime memorabilem, adscribam ex IOAN. IX, 41; ubi Christus ad Phariseorum quorundam quaestionem, num ipsi etiam caeci sint, sic respondet: Εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἶχετε ἀμαρτιῶν· νῦν δὲ λέγετε: ὅτι βλέπομεν ἢ οὐκ ἀμαρτία ὑμῶν μένει. Ibi enim ἀμαρτία itidem *incredulitatis peccatum* significat. Volunt enim Christi uerba hoc: „Quodsi „ uos animi uestri caecitatem agnosceretis; certe futurum foret, ut „ incredulitate deposita, admitteretis doctrinam meam, et esse me „ Messiam intelligeretis. Iam uero quum ipsi uobis plane sapere uideamini; pertinaciter perseveratis in errore et incredulitate praestina. „

§. XIII.

Planum esse putamus, ἀμαρτιῶν in uerbis, de quorum sententia quaerimus, esse *incredulitatem Iudaeorum*. Ita autem, uti Iesus praedixerat, euenisse; Spiritumque Sanctum, τὸν παραλήττον, arguisse

guisse Iudaeos, et conuicisse per apostolos *incredulitatis* suae, *περὶ ἀμαρτίας, ὅτι οὐκ ἐπίστευσαν εἰς Χριστόν*, historia illorum temporum docet. Etsi enim rerum ab apostolis, operante per ipsos Spiritu Sancto, inter Iudaeos gestarum narrationem parum plenam habeamus hodie; immo praeter ea, quae in *Actis Apostolorum*, a LVCAS conscriptis, continentur, iis de rebus apud scriptores alios fere nihil legimus; tamen ea ipsa, quae LVCAS in libro illo suo memoriae prodidit, satis probant, nihil omisisse Spiritum Sanctum, apostolorum *παράκλητον*, quod ad arguendos et conuincendos Iudaeos pertinacissimae incredulitatis facere posset. Ipse miraculosus ille *τοῦ παρακλήτου* aduentus, Spiritusque Sancti in apostolos effusio, Hierosolymis accidit: neque occulte, et furtim; sed palam, et in conspectu ciuitatis; atque sic, ut Petrus, quanto opere argueretur eare Iudaeorum incredulitas, grauisissima ad praesentes oratione ostenderet. Quae quidem PETRI oratio ad conuincendos audientium animos quam fuerit apta, uel inde aestimari potest; quod Iudaeorum circiter tria millia reuocari illa ab errore et incredulitate potuerint. Vide *Act.* II, 1 — 41. Ex eo autem tempore apostoli quotidie populum docebant non in templo solum, sed in aedibus quoque priuatorum *Act.* V, 42; argumentis inuictis, et cum *παρήγορα* incredibili ostendentes, Iesum, quem Iudaei crucis supplicio afficiendum curauerint, esse Christum, siue Messiam. Neque uero plebi tantum apostoli hoc palam denunciabant, uid. *Actor.* III, 12 sqq: sed principibus etiam, ipsique Synedrio Magno: cuius rei exempla legimus *Actor.* IV, 5 sqq. V, 27 sqq. Aecedebant miracula, quibus apostolorum de Iesu Christo Messia testimonium mirifice confirmabatur, *Actor.* II, 43 III, 2 — 11. V, 1 — 12. 15. 16. 21. 22. 23: *ἀπίστῳ* Iudaeorum autem eum in modum arguebatur; ut multi ex iis ueritati locum darent; caeteri, quorum pertinacia, ne sic quidem uinci se pateretur, tamen conturbarentur ualde; quum ea, quae apostoli in nomine Iesu Christi patrabant, et quae ab omni fraudis alicuius suspicione aberant, sentirent maiora esse, quam quae hominum uiribus effici possent. Vide, quae de principibus Iudaeorum, et cunctis Synedrii Magni Asfesforibus LVCAS narrat, *Actor.* IV, 13 — 18. V, 33 — 40. Possem hic praeter ea, quae memorauimus, alia afferre, quibus *τὸν παράκλητον* incredulitatem Iudaeorum arguisse, dubium non est. Sed illa quum proxime ad *τὸ ἐλέγχειν τὸν κόσμον περὶ δικαιοσύ-*

δικαιοσύνης καὶ περὶ κλέους pertineant, de iis dicendi locus infra commodior erit.

V. *Qualis sit in uerbis, de quibus disputamus, δικαιοσύνη: item quid sit, ἐλέγχειν τὸν κόσμον περὶ δικαιοσύνης, quod τῷ παρακλήτῳ tribuitur.*

XIV.

Iam ad uocis δικαιοσύνη declarationem accedimus; quam uarie exponere solent interpretes. Alii enim de iustitia, siue innocentia Christi intelligunt, nocentis instar a Iudaeis ad crucis supplicium rapti. Alii de iustitia hominis peccatoris coram deo iustificari per fidem in Christum interpretantur. HUGO GROTIUS ad hunc locum nostrum annotauit ista: „ Ostender Spiritus, Deum aequum esse rectorem, „ ut qui me extra omnem iniuriae contactum (hoc enim est, quod „ ait, non uidebitis me, ut supra 7. 36) in suae maiestatis consortium „ receperit. „ SAM. WERENFELSIUS, *Opusc.* p. 322: „ Similiter, „ si quis quaerit, quodnam sit illud factum, de cuius iustitia, bonita- „ te, et aequitate mundum sit conuicturus (Paracletus); Christus par- „ iter id nominatim declarat, cum dicit: *De iustitia* (Mundum con- „ uincet Spiritus) *quod ad patrem vado, et vos non amplius uidebitis me,* „ i. e. de iustitia huius ipsius actionis meae, quod ad p. v. et v. n. a. v. „ m. q. d. Spiritus S. clare et modo ad mundum convincendum idoneo „ demonstrabit, hoc, quod nunc uobis de abitu meo ad Patrem, de „ subductione mea ex oculis uestris patefacio, recte et iuste a me fa- „ ctum esse. „ Quarum quidem interpretationum probare equidem nullam possum: sunt enim contortae omnes: sed confutare singulas neque animus, neque otium est. Meminisse autem debemus, si uerba Christi recte intelligere uelimus, non Graecos solum et Latinos, sed Hebraeos quoque *iustum* pro *uero*, et *uerum* pro *iusto* ponere solere. De Graecis et Latinis probat hoc IO. GE. GRAEVIUS, *Lectt. Hesiod.* Cap. VI. p. m. 30. Qui monet etiam, in lingua Hebraea, Syra, et Arabica una eademque uoce iustitiam et ueritatem denotari, docuisse IYDOV. DE DIEV: sed locum non indicat; neque uacat nobis iam diligentius inuestigare. In uerbis Christi, de quibus disputamus, δικαιοσύνη est *ueracitas, integritas, atque innocentia, a fraude omni et*

dolo malo remotissima. Ita fere פִּיטֵי NEHEM. IX, 8. ubi Interpretes Graeci δίκαιος uerterunt: και ἔφησας τοὺς λόγους σου, ὅτι δίκαιος σὺ εἶ, uerax, integer, a fraude omni remotus. Vide etiam CAMPEG. VITRINGA *Commentar. in Ies. XLI, 26. p. m. 413.* Sed PLATO quoque, *Apol. Socr. p. m. 60. ed. Oxon. NATH. FORSTERI.* τοῦτο ὑμῶν δεῖσθαι — τὸν μὲν τρόπον τῆς λέξεως εἶναι — αὐτὸ δὲ τοῦτο σκοπεῖν, και τούτω τὸν νοῦν προσέχειν, εἰ δίκαια λέγω, ἢ μὴ δικαιοῦ μὲν γὰρ αὐτῆ ἀρετῆ ῥήτορος δὲ, τάληθῆ λέγειν. Porro ἀδικία opposita est τῇ δικαιοσύνῃ. Iam uero ἀδικία est mendacium, fraus, apud IOAN. VII, 18. Ο ἄφ' ἑαυτοῦ λαλῶν, τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ· ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτόν, οὗτος ἀληθὴς ἐστίν, και ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν. Et apud LUCAM XVI, 8, ὁ οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, siue absque Hebraismo, ἀδικος, est dispensator fraudulententer agens. De uocis Graecae usu constare puto. Sequitur, ut usum eum in uerbis Christi obtinere doceamus.

§. XV.

Hoc uero facile sentiemus, si uerba Christi ipsa, περὶ δικαιοσύνης δὲ, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ἐπάγω, considerare animo ab opinionibus libero uelimus. Spiritus Sanctus, ait Christus, doctor ille et magister uester futurus, conuincet mundum Iudaicum, me ueracem esse, atque ad patrem meum abire. Nimirum Christus, ut Iudaeos de legatione sua diuina edoceret, saepius ipsis dixerat non solum exiisse se, et missum esse a patre, siue a deo, sed abiturum etiam esse ad patrem, siue ad deum. Illi autem, certe maior ipsorum pars, risu et murmuratione excipere eius generis sermones consueuerant. Vide IOAN. VII, 33-36. VIII, 14. 21. 22. XII, 32-37. Immo praedixerat etiam, post abitum suum ad patrem futurum esse, ut Iudaei, qui ipsum tamquam deceptorem improbum non spreuerint solum, sed malis quoque multis et maximis affecerint, et quem rapturi ad crucis supplicium essent, documentis certissimis cognoscere possent, ueracissimum ipsum et fidelissimum uoluntatis diuinae interpretem, dei filium, et maioribus suis promissum Messiam esse. Hoc enim uolunt ista, quae apud IOANNEM legimus, VIII, 28: Όταν ἰδύσθητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τότε γνώσατε, ὅτι ἐγώ εἰμι, και ἀπ' ἑαυτοῦ ποῶ οὐδὲν, ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξε με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ. Atque haec est δικαιοσύνη

illa, de qua Christus loquitur in sermone ad apostolos, de quo iam quaerimus: illudque ipsum est, quod dicit: ἐλθὼν ἐκεῖνος (ὁ παρὲνλητος) ἔλεγξε τὸν κόσμον περὶ δικαιοσύνης, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ὑπάγω. Videmus igitur, δικαιοσύνη, ibi esse ueracitatem, integritatem a fraude omni doloque malo alienam. Sed sentimus etiam, eundem hunc ἔλεγχον ad solos Iudaeos pertinere; et ad conuincendos eos περὶ ἀμαρτίας, ὅτι οὐκ ἐπίστευσαν εἰς Χριστόν, siue incredulitatis peccati totum spectare.

§. XVI.

Iam si quacramus, quibus tandem rebus Spiritus Sanctus, ὁ παρὲνλητος, eam Iesu Christi δικαιοσύνη, ueracitatem, atque integritatem, a fraude omni longissime remotam, demonstrauerit; illud quidem multis modis fecit. Nam, ut quae uideri praecipua possunt, commemorem, *primum* huc pertinet apostolorum testimonium de resurrectione Iesu Christi e mortuis, et exaltatione eius ad dexteram patris. Vide *Actor.* II, 24-36. III, 13. 15. 21. 26. IV, 2. 10. V, 30. 31. 32. Consentaneum enim est, eum, qui ex praedictione sua a deo e mortuis resuscitatus, et in caelum receptus fuerat, ueracem, et a fraude omni doloque malo alienissimum fuisse. Atque hoc apostolorum de Iesu Christi resurrectione e mortuis, et in caelum ascensione testimonium suspectum esse Iudaeis eo minus poterat; quod probe illi nosset, apostolos familiariter uixisse cum Iesu, eiusque rebus omnibus inersuisse, *Act.* IV, 13. *Secundo* loco memorari meretur apostolorum παρρησία et libertas, animique, quam neque minae ullae neque uincula eripere poterant, alacritas plane eximia. Cuius rei exempla aliquot seruauit nobis *LUCAS*, *Actor.* IV, 1-21. V, 17-42. VI, 11-15. Quae quidem apostolorum dexteritas non poterat non conturbare Iudaeorum animos; qui scirent, eos ἀγραμμάτους καὶ ἰδιώτας, illiteratos et indoctos esse, *Actor.* IV, 13. Ut inde facile colligere potuissent, apostolos Spiritu dei agi, et ui prorsus caelesti animari; si etiam ex ipsorum apostolorum ore non audiuissent, *Actor.* V, 32. Ad hoc ex disputationibus cum doctissimis Iudaeorum uictores discedebant Christiani, *Actor.* VI, 9. 10: qui ipsi testimonium de Iesu Messia, quod ore reddebant, confirmare sanguine suo non dubitabant, *Actor.* VII, 56-59. XII, 1. 2. Ea omnia uero nonne debuissent Iudaeos ad

agnoscendam Iesu Christi, quem crucis supplicio adfecerant, innocentiam impellere? *Tertio* miraculis quoque Spiritus Sanctus, ὁ παρακλῆτος, Iudaeos de integritate et fide Iesu Christi conuincebat. Sed de miraculis apostolorum quum supra dixerim (§. XIII. p. XVIII); hic iam illud addo, apostolos miracula in nomine Iesu Christi patrassē, *Actor.* III, 6. 16. IV, 10. IX, 34: quorum miraculorum ueritatem neque poterant Iudaei in dubium uocare, neque audebant, *Actor.* IV, 14. 16. Liberatio etiam apostolorum e uinculis miraculosa, *Actor.* V, 18-23. XII, 6 sqq. magistri sui, cuius caussa talia perpetiebantur, διαισιόωνται tam aperte testabatur, ut Iudaeorum animi ea re non parum pungerentur, *Actor.* V, 24. Quaeso autem, in nomine, aut in gratiam Iesu Christi fieri miracula tot et tanta potuissent; nisi ille, uti praedixerat, e sepulcro in uitam, et deinde ad patrem in caelum rediisset? *Quarto* loco ad ea, quibus ὁ παρακλῆτος mundum Iudaicum de iustitia et ueracitate Christi commonuit, referre non dubito, religionis nouae inter ipsos Iudaeos, eorum principibus frustra nitentibus contra, propagationem per apostolos plane admirabilem: de qua LVCAS in *Actis* pasim, Prudenter sine dubio Gamaliel Phariseus, legis Iudaicae doctor, collegas in Synedrio Magno admonuit *Actor.* V, 35 sqq. his uerbis: Ἄνδρες Ἰσραηλίται, προσέχετε ἑαυτοῖς, ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις τί μέλλετε πράττειν. — Καὶ τὰ νῦν λέγω ὑμῖν ἀπέστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων, καὶ ἐλάσατε αὐτοὺς, ὅτι, εἰάν ἢ ἐξ ἀνθρώπων βουλὴ αὕτη, ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται. Εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστίν, οὐ δύνασθε καταλύσαι αὐτό· μή ποτε καὶ θεωρήσῃτε. Ad haec quid illi? Ἐπεσθῆσαν δὲ αὐτῶν. Iam uero quum uiderent, augeri in dies numerum eorum, qui Christum, quem acerbissima morte necauerant, Messiam esse faterentur; ipsi certe diuino id consilio fieri, agnoscere debuissent; atque cogitare, diuinitus se moneri, Christum, quem adhuc reiecerant, δίκαιον, ueracem et fidelem ueritatis diuinae ad gentem suam interpretem fuisse; ueraque esse, quae ille de habitu suo ad patrem praedixerit. Atque haec dicta sunt ad illustranda Christi uerba: ἐλθὼν ἐμεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ δικαιοσύνης, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ἠπάγη.

§. XVII.

Quae sequuntur, καὶ οὐκ ἐτι θεωρεῖτέ με, difficultatem minorem habent. H. GROTIUS iam monuit, θεωρεῖτε pro θεωρήσετε dictum esse

esse. Scriptores etiam profani Praefens pro Futuro ponere non raro solent. Vid. DVKERYS *ad Thucyd.* V, 65. HVTCHINSON *ad Xenoph.* K. A. p. m. 25 ed. sec. Vult autem Christus uerbis iis significare, se post abitum suum ad patrem, et ascensum in caelum, conspiciendum se in terris, uti haecenus, praebiturum ulterius non esse. Huic igitur contrarium non est, quod Stephanus Iesum uidit gloriosum in caelis, *Actor.* VII, 55. item Paullus, *Actor.* IX, 3 4. coll. I *Cor.* IX, 1. XV, 8. Neque uero inter se pugnant, quae Christus hoc loco, et quae apud ΜΑΤΤΗ. XXV, 64. et MARC. XIV, 62 affirmat. Nam ibi *ὄψεσθαι* est *intelligere, sentire.* Sed de utroque hoc loco dicemus plura in sequentibus.

VI. *Qui sit ὁ ἀρχων τοῦ κόσμου τούτου, qui dicitur κερμαμένος: et qualis sit eius κρείσσις: item, ἐλέγχειν τὸν κόσμον περὶ κρείσσεως quam in sententiam de τῷ παρακλήτῳ dicitur.*

§. XVIII.

Denique ὁ παρακλήτος conuicturus mundum a Christo dicitur περὶ κρείσσεως. Illud autem iudicium quale sit, si quaeras; ipse dominus respondet: περὶ δὲ κρείσσεως, ὅτι ὁ ἀρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται. Res ipsa admonet, ut, uerborum horum sententiam declaraturi, ab interpretatione τοῦ ἀρχοντος τοῦ κόσμου τούτου ordiamur. Qui in haec Christi uerba commentati sunt, uno ore omnes per *principem mundi* Satanam intelligere nos iubent. Sed ea interpretatio non solum fundamento nullo nititur; sed manifestae etiam uanitatis conuinci potest. Nam orationis quidem series illi plane non fauet. *Mundus*, quem Spiritus Sanctus, ὁ παρακλήτος, conuicturus dicitur, *mundus Iudaicus* est: quod in superioribus planum fecimus. Iam igitur quaero, quibus rebus Iudaei, maxime primores eorum, per Spiritum Sanctum, apostolorum παρακλήτων, conuinci potuerint, ut fateri uel inuiti cogentur, sententiam in iudicio diuino latam contra Satanam esse. IO. CLERICVS quidem, *Hist. Christi ex quat. Euang.* p. m. 204: „Damnatio denique Ca-“, codaemonis, cuius ope miracula a me fieri calumniati sunt Iudaei, „conspicua erit in eius regni euersione, dum ubique Euangelium „nunciabitis, atque homines Caecodaemoni antea mancipatos ad fidem „Deo habendam adducetis.“ CHRISTI. SCHOETTGENIVS autem, *Hor. Hebr.* p. 396: „Diabolus mihi per Iudaeos ruinam intentauerat: „sed

„ sed Spiritus S. ostendet, ipsum per passionem et resurrectionem
 „ meam damnatum esse. „ Quae uero, non dicam quam frigida, sed
 quam falsa sint, non est difficile ostendere. Vt enim iam taceam,
 Euangelium non statim post τοῦ παρακλήτου aduentum nunciari genti-
 bus profanis coepisse; sed apostolos ex ipsius Christi mandato aliquot
 per annos Iudaeos solos ad regnum caelorum, siue Messiae, inuitasse;
 ut, inquam, hoc in praesentia omittam; Iudaei ea re, quod Euangelium
 a multis (neque enim ab apostolis cunctis aut pluribus id factum est)
 gentibus profanis nunciabatur, non eam in partem moueri se passi sunt,
 uel potuerunt moueri, ut inde, Caecodaemonem per passionem et re-
 surrectionem Christi damnatum esse, colligerent: sed illud potius in-
 terpretati ita sunt, ut inde contra ueritatem religionis Christianae ar-
 gumentum ducerent. Diabolum uero per Iudaeos ruinam Christo in-
 tentasse, Iudaeis numquam obiecerunt apostoli. Itaque totum hoc,
 quantum quantum est, si etiam apud scriptores Christianos satis anti-
 quos similia legantur; tamen, si, quod uerum est, fateri uelimus,
 inter signenta ingeniosa numerare cogemur. Etsi enim non negem, ad-
 modum pie dici posse, diabolum Iudaeis ad perdendum Christum,
 tamquam instrumentis abusum esse: tamen eius rei nullum plane uesti-
 gium sacro in codice extat. Minime igitur ex litteris sacris sapere, sed
 suo abuti ingenio censendi sunt; qui talia ad librorum diuinorum in-
 terpretationem ex suo penu afferre non dubitant. Ad hoc aliam longe
 in sententiam dicitur filius dei aduenisse I IOAN. III, 8, ut opera dia-
 boli dissolueret: uel, Hebr. II, 14, ut per mortem frangeret, uim mor-
 tiferam habentem, diabolum. Nam post mortem etiam, resurrectionem,
 et ascensum Christi in caelum Satan, ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου,
 occaecauit mentes incredulorum, PAVLLO teste, II Cor. IV, 4. ὁ ἀε-
 χων τῆς ἐξουσίας τοῦ αἰῶνος, Ephes. II, 2. qui, etsi ligatus a deo sit σεί-
 ραίς ἑσθου, seruatur tamen ad iudicium, eis ἡλώω, II PETR. II, 4.
 Igitur ille non κένηται: siue sententia damnatoria in eum morte et re-
 surrectione Christi lata non est, ut eiceretur ab eo tempore foras:
 quod tamen de principe mundi huius affirmat Christus IOAN. XII, 31;
 et in quo consistit eius ἡλώω, iudicium contra ipsum latum, ut infe-
 rius demonstrabimus. Atque hoc argumentum ualet etiam contra eos,
 qui per τὸν κόσμον non mundum Iudaicum, uerum uniuersitatem Iu-
 daeorum et gentium aliarum intelligunt.

§. XIX.

Sed τὸν ἀρχοντα τοῦ κόσμου τούτου non esse diabolum, quid tam operose disputamus; quum, qui sit ἀρχων ille, demonstrare possumus? Nam duo sunt apud IOANNEM loca, quae dubitare nos non sinunt, per principem mundi huius, id est, mundi Iudaici, *Synedrium Iudaeorum Magnum* intelligi. Eorum locorum primus est *Cap. XII, Segm. 31*: Νῦν κρῖσις ἐστὶ τοῦ κόσμου τούτου. Νῦν ὁ ἀρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐβλήθησεται ἔξω. Ibi mundum hunc esse mundum Iudaicum, contra quem in iudicio diuino sententia damnatoria lata erat, ut per oeconomiam Noni Foederis destrui et dissolui deberet, manifestum faciemus, ubi in sequentibus de iudicio, contra principem mundi huius lato, diligentius dicendi locus erit. Ibi enim haec quoque Christi uerba cura maiore illustraturi sumus: quod in praesentia quidem facere nondum licet. Sed quum sententia damnatoria, contra principem mundi huius lata, ad mundum etiam ipsum pertineat; quod ex uerbis Christi, superius adscriptis, planum est; mundus autem hic sit mundus Iudaicus: debet sane princeps mundi huius princeps mundi Iudaici esse. Non potest igitur diabolus esse; uti interpretes omnes uolunt: sed erit omnino *Synedrium Magnum*; quod erat gentis Iudaicae Tribunal amplissimum, Ordinariorumque summum: de cuius iurisdictione uideatur IO. SELDENVS, de *Synedr. Vett. Ebraeor.* II, IO. p. m. 809. et III, I. p. IO4I 149. Locus alter, qui docere nos potest, τὸν ἀρχοντα τοῦ κόσμου τούτου esse *Synedrium Magnum*, legitur apud IOAN. XIV, 30: Οὐκ ἔτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν. Ἐρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἀρχων, καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. Scio, ibi etiam per τὸν ἀρχοντα τοῦ κόσμου τούτου interpretes omnes diabolum intelligere: dixi autem iam superius, hoc de diabolo, necis Christi machinatore, pium quidem, sed inane commentum esse; quum nihil omnino sacro in codice legamus, quod uideri possit opinionī istī ullo modo fauere. Quae autem de commento hoc apud ueteris ecclesiae patres leguntur, non plus apud nos ualere debent, quam sacrae litterae. Sed ipse Christus supplicii sui auctores nominat Iudaeorum Seniores, Principes Sacerdotum, et Scribas MATTH. XVI, 21. XX, 18. 19. MARC. VIII, 31. LVC. IX, 22, siue uno nomine, *Synedrium Magnum*. Atque idem hoc *Synedrium* misit ex asseforum numero aliquot cum manu armata, qui Iesum ex horto Gethsemanes captiuum abducerent. Nam

D

de as-

de ascesforibus Synedrii non dubitabimus, si legerimus, quae LVCAS refert *Cap. XXII, Segm. 52*. In eo autem nihil praeter morem institutumque Synedrii factum esse, colligo ex *Aclor. IV, 1*. Sed duo etiam discipuli Iesu, Emmauntem proficiscentes, Synedrii Magni opera et culpa caedem magistri sui factam esse, aperte palamque dicunt, *LVC, XXIV, 20*: ὄπισθε, παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἀρχόντες ἡμῶν εἰς κελία θανάτου, καὶ ἐσάωσαν αὐτόν. Vide etiam *Aclor. III, 17. IV, 8. 9. 10. XIII, 27. 28*. Maxime autem huc pertinent PAVLLI uerba *I Cor. II, 8*: Ἦν (σοφίαν Θεοῦ) οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐσάωσαν. Dubitare non possumus, τοὺς ἀρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου, qui dominum gloriosum in cruce affixerunt, esse *Synedrium Magnum*: nam hoc ex locis, quae haecenus indicauimus, planum est. Quaeso igitur, τὸν ἀρχοντα τοῦ κόσμου τούτου, quem uenire contra se Christus, uerbis supra adscriptis, affirmat, idem *Synedrium Magnum* esse, negabimus?

§. XX.

Nimirum ἀρχόντων appellationem Synedrii Magni ascesforum propriam fuisse, uel ex *Aclor. IV, 8* manifestum est: ubi Petrus collegium illud alloquitur: ἀρχοντες τοῦ λαοῦ, καὶ πρεσβύτεροι τοῦ Ἰσραὴλ. Sunt autem ἀρχοντες, **אֲרָמְיָא**, iudices. IOSIPPON, sive IOSEPH. BEN-GORIONIS, *Hist. Iud. VI, 44*. p. m. 196 ex uers. IO. GAGNIERE: *conterriti sunt iudices et seniores Synedrii*. Et p. 197: *Cum autem audissent seniores Synedrii, et iudices, qui illic aderant, uerba Sammai*. Et qui apud *LVC. XII, 58* ἀρχων, eodem segmento κριτής dicitur. Nam uerum non est, quod IO LIGHTFOOT, *Hor. Hebr. ad Matth. V, 25*. p. m. 288. scribit, apud LVCAM per τὸν ἀρχοντα iudices in infimis Synedriis intelligi, per κριτήν iudices in summo. Vnum est, quod in interpretatione nostra τοῦ ἀρχοντος τοῦ κόσμου τούτου offendere possit. Τοὺς ἀρχοντας τοῦ κόσμου τούτου, numero plurali recte dici posse *Synedrium Magnum*, fortasse concedent nobis lectores: non item in numero singulari. Sed hoc offensionis minus habebit; si cogitauerimus, Talmudicos per iudicem **דיין**, *Deuter. XVII, 9. 12*. intelligere *Synedrium Magnum*. Vide HERM. WITSIVM, *Miscellan. Sacr. Tom. I. Lib. II. Dissert. III. §§ XXIII. XXIV*. p. m. 425 sq. Et ipse Iesus apud IOAN. XIX, 11, Pilato dicens ὁ παραδίδους με σοὶ μετὰ τὸν ἀμαρταν

ἔχει, in numero singulari loquitur; etsi per τὸν παραδιδόντα iudices et seniores Synedrii Magni omnes intelligat. uid. MATTH. XX, 18. 19.

§. XXI.

Probare haecenus studuimus per τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου non diabolum, sed Synedrium Magnum intelligi debere. Sequitur, ut de iudicio, contra principem mundi huius lato, addamus. Περὶ δὲ κρισεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέριται. Illud igitur iudicium declarant nobis Christi uerba apud IOAN. XII, 31: Νῦν κρισις ἐστὶ τοῦ κόσμου τούτου. Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐβληθήσεται ἔξω. Videmus, sententiam damnatoriam, latam aduersus principem mundi, esse aduersus mundum ipsam latam. Dicitur enim κρισις εἶναι τοῦ κόσμου τούτου: iudicium contra mundum hunc fieri. Illudque iudicium quale sit, declaratur: Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐβληθήσεται ἔξω: nunc princeps mundi huius eicietur foras. Si princeps mundi huius essee diabolus; iudicium damnatorium aduersus ipsum factum, non posset dici κρισις τοῦ κόσμου τούτου, iudicium contra mundum hunc factum. Nam aduersus diabolum si per aduentum Christi et mortem sententia lata demum esset, ut eiceretur foras; sequeretur, ut mundus hic totus, siue homines omnes a potestate diaboli post mortem Christi soluti et facti liberi essent. Sed factos omnes non esse, cum aliunde, tum ex II Cor. IV, 4 constat. Debebit igitur Christi in uerbis mundus hic esse mundus Iudaicus: princeps mundi huius, Synedrium Magnum. Et haec ipsa Christi uerba debebunt declarationem eorum continere, de quibus quaerimus: περὶ δὲ κρισεως, ἐτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέριται. Itaque damnato principe mundi huius, Synedrio Magno; debebit mundus etiam hic, siue mundus Iudaicus, damnatus esse. Item: Principe mundi huius, siue Synedrio Magno, foras eicecto; debuit etiam mundus hic, siue mundus Iudaicus foras eici. Quae quum ita sint; licebit iudicium illud factum contra principem mundi huius, et mundum hunc ipsum, illustrare ex uerbis Christi, MATTH. VIII, 11. 12: Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἔξουσιν, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Αβραάμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακώβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἔξωτερον. Regnum caelorum siue regnum dei, est cultus dei ueri, per quem homo acceptus deo fit.

Vide loca ex scriptis Iudaicis in CHRISTI. SCHOETTGENII *Disq. de Regno Caelorum*, cum *Hor. Hebr. et Talmud. in uniuers. N. T.* edit. p. 1147 sqq. *) et quae collegit IO. LIGHTFOOT *Harmon. quat. Euangelistar.* p. m. 432 sq. Tom. I. *Opp.* Ille cultus dei, siue illud *regnum caelorum*, etsi diuidi possit pro dispari ratione oeconomiae ueteris et nouae: tamen idem *regnum caelorum*, unus dei cultus erit, si cogitaueris, neminem colere rite deum, placere deo, eiusque gratia frui posse, nisi per fidem in Messiam. Hoc si teneas, poteris iam facilius intelligere, quid sit ἀνακλιθῆναι μετὰ Αβραάμ, καὶ Ἰσαάκ, καὶ Ἰακώβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *accumbere cum Abrahamo, Isaac, et Iacobo in regno caelorum*: nimirum, per fidem in Messiam, atque cultum religionis deo aequae gratum acceptumque esse, gratiaque diuina non minus frui, quam Abrahamus, Isaacus, et Iacobus; quibus parentibus Iudaei tanto opere superbire solebant. Venturi ab Oriente, et ab Occidente, quibus opponuntur οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, sunt, quicumque ex gentibus profanis doctrinae euangelicae locum relicturi, et regnum caelorum, ut forma loquendi scriptoribus Iudaicis familiari utar, recepturi sunt. Hi igitur dicuntur per fidem in Messiam gratia diuina aequae fruituri esse, atque Abrahamus, Isaacus, et Iacobus, Iudaeorum parentes. Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἔξωτερον. *Filii regni, qui uolunt non per fidem in Messiam gratia diuina aequae fruituri esse, atque Abrahamus, Isaacus, et Iacobus, Iudaeorum parentes. Illi autem filii regni eiciuntur in tenebras exteriores, quae caligo Messiam agnoscere, et fide recipere eos non sinet.* Vid. II Cor. III, 14. 15. 16. *Tenebrae denique illae dicuntur exteriores, siue*

*) SCHOETTGENIUS l. c. probat, *regnum caelorum* in scriptis Iudaeorum dici de subiectione uoluntari et oeconomiae diuinae praestita: porro de tota religione Iudaica: speciatim uero Iudaeos illud uocare regno caelorum se submittere, si quis precibus operam det, et ueritatem orthodoxam profiteatur. Addit p. 1150, per *regnum caelorum* indigitari quoque tempora Messiae, et oeconomiam illorum, una cum aliis circumstantiis eo pertinentibus. Sic ingenue fateri cogi, se in scriptis Iudaeorum tale quid non multum obseruasse, quamuis ad illam phrasin, ubicunque sibi occurrerit, animum sedulo aduerterit.

siue quae sunt extra; quia extra regnum caelorum merae tenebrae sunt. Nam qui luce Euangelii carent, quasi in loco caliginoso uersantur: neque uiam, qua placere deo, et gratia diuina frui possint, reperire ualent. Haec uero interpretatio nostra omnino confirmatur alio loco ΜΑΤΤΗ. XXI, 42. 43. ubi Christus praedicit Iudaeis, futurum esse, ut regnum caelorum ab ipsis, qui credere sibi, Messiae, nollent, auferretur; atque genti permitteretur, apud quam disciplina eius plus ualitura sit. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρθήσεται ἀπὸ ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, καὶ δοθήσεται ἔθνεσι, ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς. Nam illa regni caelorum a gente Iudaica, quam deus populum sibi elegerat, ad nationes alias, quae populus dei hactenus non fuerant, translatio in qua re alia consistit, quam in religionis uerae a gente Iudaica ad gentes profanas migratione? Atque hanc rerum in oeconomia diuina conuersionem maxime memorabilem sequi omnino debuit templi, urbis, et totius rei publicae Iudaeorum, ciuili non minus, quam ecclesiasticae, euersio. Neque enim deus cultum Mosaicum, μέχρι καιρῶν διορθώσεως ἐπιμεψόμενον, ferre ulterius poterat, quam ad καιρὸν διορθώσεως, *Hebr. IX, 9. 10. X, 1. Colos. II, 17.* Illud autem tempus correctionis, καιρὸν διορθώσεως, quum agnoscere atque admittere Iudaei nollent; ea ipsorum pertinacia non potuit non cum urbis et totius rei publicae excidio coniuncta esse. Vide LVC. XIX, 41-44. ubi Christus ea urbis gentisque fata praedicit. Sed praedixit etiam ΜΑΤΤΗ. XXIV, 3 sqq. Quarentibus enim discipulis suis, τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος *); de euersione urbis et gentis Iudaicae responderet. Immo praedixit Synedrio Magno ipsi ΜΑΤΤΗ. XXVI, 64 MARC. XIV, 62. Nam Christum ibi de aduentu suo ad euertendam urbem et gentem Iudaeorum loqui, dubium non uidebitur, si conferamus cum ΜΑΤΤΗ. XXIV, 30. MARC. XIII, 26, LVC. XXI, 27.

§. XXII.

Erit igitur iudicium, contra principem mundi huius latum, illa de Synedrio Magno lata a deo sententia; ex qua, sublato per oeconomiam

D 3

*) Obserues, discipulos, quibus magister de excidio templi, praedixerat segm. 2. quaerere iam, τί τὸ σημεῖον — τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; (onfirmantur inde, quae superius disputauimus, §. VIII: Iudaeos ea aetate res suas κόσμον αἰῶνα, vel κόσμον τοῦτου, αἰῶνα τοῦτου, הַיָּמִין = הַיָּמִין, appellare consueuisse.

nomiam nouam cultu Mosaico, spoliari illud et exui per Christum potestatem omni ac iure, atque una cum ipso mundus Iudaicus totus dissolui debebat. Nimirum quoad cultus Mosaicus ualebat, persistebat etiam mundus Iudaicus, atque auctoritas Synedrii Magni uigebat; ad quod de rebus omnibus maioris momenti, tam sacris, quam ciuilibus, rotius mundi Iudaici referebatur. Vbi autem per aduentum Christi, et oeconomiam nouam cultus Mosaicus tolleretur; debebat omnino mundus Iudaicus corrui; quippe qui totus legibus Mosaicis superstructus erat. Cultus autem Mosaici abrogatio, et mundi Iudaici ruina non poterant non ius omne et potestatem Synedrii Magni extinguere; eo consilio in mundo Iudaico constituiti, ut cultum Mosaicum factum et rectum, ut aiunt, conseruaret; atque secundum leges Mosaicas de rebus sacris et ciuilibus decerneret. Videmus, iudicio contra principem mundi huius, siue Iudaici, lato, iudicium contra mundum Iudaicum, et cultum Mosaicum omnem quasi inuolui: et Christum, dum sententiam affirmat contra principem mundi pronunciatam esse, idem hoc de mundo quoque Iudaico, et de omni cultu Mosaico affirmare. Vide IOAN. XII, 31. ubi iudicium contra mundum huic, et iudicium contra principem mundi huius coniunguntur. Similiter fere PAVLLVS, ad *Colos.* II, 14. 15. abrogationem cultus Mosaici, et abolitionem potestatis et auctoritatis doctorum et custodum legis Mosaicae, per Christum factam, coniungit. Nam his de rebus apostolum ibi loqui, series orationis aperte docet: et uiderunt alii iam; etsi non desint, qui τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας de daemonibus malis interpretari non dubitent. Vide, quos in utramque sententiam nominat IO. CHRISTO. WOLFIVS in *Cur. Philol. et Crit. ad h. l.* p. 319 sq. Sed, ut ad uerba Christi, de quibus iam disputamus, redeam, sententia damnatoria de principe mundi Iudaici, de mundo Iudaico, de cultuque Mosaico pronunciatam erat, et ualebat; etsi excidium urbis et gentis Iudaicae, ipsiusque Synedrii Magni multis annis post aduentum Spiritus Sancti, τοῦ παραλήθου, demum euenerit. Neque enim euersio urbis gentisque Iudaeorum cum sententia damnatoria, de qua Christus apud IOANNEM loquitur, ita coniuncta est; ut illa hanc necessario sequi debuisset. Illa nimirum iugens urbis gentisque Iudaicae calamitas incredulitati Iudaeorum, et inuictae pertinaciae tribui unice debet; qua illi θεομάχοι cum cultu Mosaico mundum Iudaicum et Synedrium Magnum contra doctrinam euange-

euangelicam tueri, conseruareque conabantur. Effugere fortasse Iudaei potuissent urbis gentisque suae excidium; si sententiam illam damnatoriam aduersus cultum Mosaicum, et, qui huic superstructus erat, mundum Iudaicum, Synedriique Magni auctoritatem et potestatem, agnouissent, doctrinae euangelicae locum reliquissent, atque sic oeconomiae dei nouae se permisissent. Sed si etiam ea omnia Iudaei maxime fecissent; tamen sententia illa damnatoria contra mundum Iudaicum, et principem eius ualitura fuisset. Nam per aduentum Christi, et oeconomiam nouam non potuit non cultus Mosaicus abrogari, mundus Iudaicus destrui, omnisque Synedrii Magni auctoritas et potestas extingui penitus, et deleri.

§. XXIII.

Hoc uero ipsum est, quod Christus dicit, *ἐλθὼν ἐκεῖνος (ὁ παρὰ κἀλήτος) ἐπέχει τὸν κόσμον περὶ κήσεως, ὅτι ὁ ἀρχὼν τοῦ κόσμου τοῦτου κέρηται*. Quam quidem elenchi Spiritus Sancti partem et mecum ipse confidero; non possum non sapientiam diuinam adminari, quae ea in causâ pederentim, et gradatim procedere uoluit. Notum est, quae Iudaeorum de legum Mosaicarum auctoritate sententia fuerit; et quanta illi cum superstitione cultui earum dediti fuerint. In ipsorum apostolorum animis penitus infederant eius generis opiniones, ut labefactari aliquantum illae difficilius, omnes prorsus conuelli nullo modo potuerint. Quodsi historiam Iesu Christi, ab Euangelistis mandatam litteris, attentius legamus; sentiemus omnino, inde, quod opiniones Iudaicae in mentibus apostolorum penitus affixae atque insitae essent, factum esse, ut illi magistri sui dicta multa plane non intelligerent, alia uero non satis caperent. Obseruabimus etiam, Christum opinionem illas non ui et impetu quodam impugnasse; sed caute et pederentim ad eas infirmandas ac frangendas descendisse. Vti uero Christus hac in causâ cum apostolis, sic Spiritus etiam Sanctus, ὁ παρὰ κἀλήτος, cum illis, et per illos cum Iudaeis reliquis egit. Christus neque ipse ab ecclesia Iudaica aperte et per omnia feceserat; neque apostolos facere hoc iussisse legitur. Tamen nouam quamdam societatem religiosam condidit, suosque multis et maximis in rebus cultum Mosaicum deferere iussit. Nam discipuli sui ut solenni ritu baptismi

initia-

initiarentur sibi, atque sic in *regnum caelorum* reciperentur, sanciebat. uid. IOAN. IV, 1. 2: deum non sacrificiis, et eius generis ritibus, neque Hierosolymis tantum; sed mente, et numine suo digna ratione colendum esse, praecipiebat, IOAN. IV, 23. 24: ipsas leges diuinas dogmatibus humanis neque obscurandas, neque infringendas esse docebat; suosque praecepta et instituta mere humana, siue traditiones seniorum, *ταῖς παραδόσεσι τῶν πρεσβυτέρων*, spernere iubebat. uid. MARC. VII, 2-16. atque ut cauerent sibi a doctoribus Iudaeorum, monebat. uid. MARC. XII, 38-40. LVC. XX, 45-47: apostolos sibi eligebat, illisque docendi alios publice, initiandi sacris suis, recipiendique in *regnum caelorum* potestatem tribuebat. uid. IOAN. XX, 21. 22. 23. MATTH. XVI, 19. XVIII, 18: denique templi Hierosolymitani, et cultus Mosaici interitum non minus, quam urbis et gentis Iudaicae excidium praenunciabat. uid. IOAN. IV, 21. LVC. XIX, 11-27. MATTH. XXI, 33-46. LVC. XX, 9-19. IOAN. X, 16. caet. Iam uero etsi apostoli Iesu Christi, quum ille in caelum ascenderet, disciplinam magistri sui non plenissime intelligerent, ut qui opinionibus Iudaicis impeditur; tamen ad hoc promissus ipsis Spiritus Sanctus, *ὁ παρακλητος* erat, ut ille intelligere eos faceret omnia, quae Christus ipsis dixerat, IOAN. XIV, 26. Hoc non subito, sed sensim et gradatim Spiritum Sanctum fecisse, supra iam monuimus. Ut autem potiora, quae ad conuincendos Iudaeos *πρὸς κελτεως* Spiritus Sanctus per apostolos operatus est, breuiter summamque recenseamus; cultu Mosaico *regnum caelorum* ulterius non contineri, sed *saeculi* siue *mundi huius*, *הַיָּמִין הַזֵּה*, finem, *saeculi* autem siue *mundi futuri*, *הַיָּמִין הַבָּא*, initium adesse, uel inde colligere Iudaei poruisent; quod apostoli ueracitatem Iesu, ut supra uidimus, argumentis inuictis aserebant, eumque Christum, siue Messiam esse, demonstrabant. Accedebat, quod illi respiciendi rationem et remissionem peccatorum, *μετάνοιαν καὶ ἀφεσιν ἁμαρτιῶν*, non ex cultu Mosaico, sed in nomine Iesu Christi, et per fidem in ipsum nunciabant. uid. *Actor.* II, 38. III, 19. 26. IV, 11. 12. V, 31. Ipsi, licet ritus Mosaicos non omnes spernerent, tamen a sacrificiis abstinere Christianos suos iuebant: magistro suo coetus peculiare colligebant: eos, qui disciplinam Christi recipiebant, baptismo initiabant: conuentus sacrorum causa agebant; etsi neque a precibus in templo abstinere. uid. *Act.* II, 42. 46. XX, 7: ecclesiis

quas

quas Iesu Christo collegerant, Presbyteros praeficiebant, *Actor. XV*, 2. 4. 6; Diaconos addebant, *Actor. VI*, 2. 6; eos ecclesiarum ministros precibus et manuum impositione inaugurabant, *Actor. VI*, 6; atque in societate hac sacra noua, certe quamdiu Hierosolymis agebant, causas una cum Presbyteris tractabant, de quibus in ecclesia Iudaica Synedrium Magnum cognoscebat. uid. *Actor. XV*, 1. 29. Quae quidem omnia ita comparata erant, ut mundus Iudaicus uehementer iis concuteretur; atque ea re admoneretur grauius, adesse tempora Messiae et oeconomiae nouae: inprimis, quum omnes cernerent, religionem, quam apostoli docebant, latius in dies, et mirandam in modum propagari, Synedrio Magno frustra nitente contra; adeo, ut ne sacerdotes quidem ab ea amplectenda deterri possent. uid. *Actor. VI*, 7. Neque uero illud haec in causa leue putandum est, quod illis, quibus apostoli manus imponebant, dona Spiritus Sancti extraordinaria darentur. uid. *Act. VIII*, 17. 18: quippe qua re mundus Iudaicus grauisime *negl. neglectos* arguebatur. Quum enim Spiritus Sanctus, qui prophetiam et miracula operatur, ab ecclesia Iudaica recesserat; eius ad apostolos et ecclesiam Christianam reditus esse Iudaeis indicio poterat, mundi huius, *τοῦ κόσμου*, uel *τοῦ αἰῶνος τούτου*, finem adesse, nouamque oeconomiae diuinae periodum instare. Neque dubito affirmare apostolos libere docuisse, nolle deum ulterius sacrificiis coli, quae offerre lex Mosaica iuberet; atque eos, ad exemplum magistri sui, pernicitiae Iudaeorum excidium templi, urbis, et gentis non obscure denunciasse. Hoc enim ut credamus, suadere omnino ea uidentur, quae *Actor. VI*, 11. 13. 14 legimus. Denique ad ea, quibus Spiritus Sanctus mundum Iudaicum *negl. neglectos* arguit, praedicationem euangelii inter gentes profanas refero, et donorum Spiritus Sancti in eos effusionem. Quae quidem res quantum ad conuincendum mundum Iudaicum *negl. neglectos* momentum habere potuerit; uel inde colligere licet, quod ipsi apostoli, atque illi, qui ex Iudaeis Christum Messiam esse agnoscebant, difficillime persuadere sibi poterant, *regnum caelorum* ad gentes etiam profanas pertinere. uide omnino *Actor. X*, 10. 23. 28. 34. 35. 45. 46. XI, 1. 18. Iam uero quum res ipsa loqueretur; nihil relinquebatur Iudaeis, quam hoc, ut faterentur, religionem Mosaicam religioni Christianae, mundum Iudaicum mundo Christiano concedere ex uoluntate et decreto dei debere. Sed hoc fateri quum maior Iu-

E

dacorum

daeorum pars, et inprimis Principes et Seniores gentis pertinacissime nollent; triste illud templi, urbis, totiusque gentis excidium consecutum est. De quo plura iam non addo; quum illud non tam ad Spiritus Sancti per apostolos elenchum pertineat, quam pro poena grauissima haberi debeat, qua iratum numen peruicacissimam infelicis gentis perfidiam ultum est.

VII. *Verborum Christi, quae diligentius interpretari dissertatione hac conati sumus, paraphrasis.*

S. XXIV.

Supereff, ut verborum Christi, quorum sententiam cura maiore inuestigare haecenus, et declarare studuimus, paraphrasin addamus, quam supra promissimus. Illam igitur sic habe. Ille uero magister uester, Spiritus Sanctus, quem, uti superius dixi uobis, pater missurus est in nomine meo, et qui unquam discessurus a uobis, sicut ego iam discedo abiturus ad patrem, non est; ille Spiritus Sanctus igitur per uos uerbis et rebus arguet, et conuincet mundum Iudaicum, aduersarium uestrum et meum, de incredulitate peccato; de ueracitate mea atque fide, a fraude omni et dolo malo remotissima; denique de sententia, quae aduersus mundum illum, et Principem ipsius in iudicio diuino lata est. Conuincet autem Iudaeos sic, ut, quid uerum sit, uidere certe omnes possint, se etiam maxima eorum pars agnoscere, et fateri pertinaciter recusatura sit. De incredulitatis quidem peccato mundum Iudaicum sic arguet; ut appareat, Iudaeos temere, et sine omni causa mihi, qui ea, quae inter ipsos haecenus docui, tot tantisque miraculis confirmari, fidem habere noluisse. De ueracitate mea: ut, nisi animum occaecatum libidine et malitia proclere uelim, negare nequeam, uera omnino esse, quae ipsis de abitu meo ad patrem praedixi; atque eam ob causam uera erim, quae de legatione mea ad ipsos diuina testatus sum; fidemque me uoluntatis diuinae ad ipsos inzerptem fuisse. Denique sententiam contra mundum Iudaicum et Principem eius, Synedrium Magnum, in iudicio diuino latam esse, sic ostendet; ut, nisi ipsi occludere oculos malitiose uelim, sentire cogantur, uelle deum, ut cum cultu Mosaeico Synedrium Magnum, penes quod cultus eius cura suprema est, rollatur, atque sic mundus Iudaicus, qui legi Mosaeicae superstructus est, esse desinat: contra religio, quam ego, tamquam Messias, docui, in locum religionis Mosaeicae succedat, atque ad omnibus, quibus salus sua cordi est, mente et animo recipiatur.

ERRATA QVAEDAM,

P. XV. l. 30, lege, *Sauagesia.*

P. XXIII. l. 9, lege MATTH. XXVI.



Tb 2205

ULB Halle

3

004 716 302




f

R

no







22

SPIRITVS SANCTVS
APOSTOLORVM IESV CHRISTI

MAGISTER
ARGVENS MVNDVM

IOANN. XVI, 8. 9. 10. 11.

DISSERTATIO PHILOLOGICO THEOLOGICA

QVAM
SVB MODERAMINE
IOANNIS FRIDERICI GRVNERI

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS

ET PROF. PVBL. ORDIN.

VIRORVM DOCTORVM EXAMINI

AD D. XI. M. APR. MDCCCLXVIII

SVBMITTET

ARND MOLITZ MEENTZ

FRISO ORIENTALIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI ET FRID. AVG. GRVNERTORVM.

21

